franc.

Prokopowic Casimiri: Splendor theologiei honoris

et sapientiae.

SPLENDOR
Theologici Honoris & Sapientiæ,
IN
Perillustri, Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,
D. M. CHRISTOPHORO FRANCISCO SOWINSKI,
Sacræ Theologiæ Doctore & Professore,
Collega Majore, Ecclesiarum Collegiatarum,
S. FLORIANI Decano, Custode Pilecensi, Cancellario Posnaniensi, Curato Prossovicensi,
Contubernij Philosophorum, & Scholarum
Novodvorscianarum Provisore,

Solenni Actu suæ Responsionis,
PRO LOCO
Inter Perillustres, & Admodùm Reverendos Dominos,
Sacræ Theologiæ Doctores obtinendo:

A
M. CASIMIRO PROKOPOWIC,
Philosophiæ Doctore, Collegij Novodvorsciani
Rhetorices Professore,

Orbi Academico
EXHIBITVS.
Anno Salutis, 1691. Die 12. Mensis Junij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

SPLENDOR
THEOLOGICI HONORIS & SAPIENTIÆ.

RAra & magnifica Sapientiæ opera,
tum demum in lucem publicam, vultuſq́; ſpectantium,
ipſe ſuæ Dædalus gloriæ extulit Orbis;
poſtquàm ex oraculo, ore Numinum diſerto,
Sapientia dicta,
Auguſtam Majeſtatem ſuam, celſiq; culmen honoris,
ſupra mentium cacumina fixit.
Nimirùm
altiùs ſe omni faſtigio tollunt,
& è ſuis emergunt tenebris;
ſi dignam alti ſedem honoris decora inveniant:
& non funeſto ſub cortina ignorantiæ preſſa ſilentio;
ſed auguſtiori ornata elogio,
Cedris perennibus, & immortalitati aſſerantur.
Diverſum equidem eſt, longèq; aliud;
factis illuſtrioribus, ſolis purpuram, fulgurq́; luminis æmulari,
& in augem honoris, cum ſole non aſcendere,
ut gratior clariorq́; fias:
illud virtutis induſtria, hoc ine[illegible]æ, & exilis ingenij prona demiſſio.
Excelſa ſemper ambiunt, qui ritè virtutem amant:
nam quòd virtuti pulcher in omni Republica locus,
primaq; faſtigia debeantur,
non ampliùs conſulimus oracula Phœbi.
Sceptra dedit Orbis in manus indulgentior fortuna Macedoni,
non quòd ſanctæ jura amicitiæ cum eo coluit;
ſed quia altam Iuvenis verrita Indolem,
Splendorem Virtutis, & Majeſtatem Sapientiæ in eo adoravit.
Scipiones, Camilloſq́;,
& poſt, rarâ felicitate Auguſtos,
non jure ſanguinis;
ſed merito, pretioq; virtutum,
triumphali Magnificentiæ pompâ,
uſq; ad prodigium; ſtuporemq; gentium Roma extulit.
Favit cruentus, & ſæpius indulſit Pœno Annibali Gradivus,
& quia iuratus hoſtis pro Patre Romanis,

& quia

& quia decora militaria, virtute & ſapientiâ quærens,
non ſemel proprio ſanguine litavit Gradivo.
Ita nempe fit,
ut quod Virtuti germanum eſt,
geſtiſq;, & magnitudine ſui, Orbem attonitum reddit,
idem ſit auguſtum, & eminens,
non ambitionis faſtigio; ſed excellentiâ meritorum.
Hanc in Te,
pulchram, ſatiſq; felicem, Virtutis & Sapientiæ conſociationem,
magno Tuo gaudio, & meritis plenus,
ſtupet fauſtus ſuis vicibus ſapientiæ Orbis;
Et ego Tuorum ultimus laudator decorum,
pronâ ſubmiſſione veneror,
Perilluſtris, Clariſſime, & Admodùm Reverende Domine,
D. CHRISTOPHORE SOWINSKI,
novo Sapientiæ ſereno,
exoriens Doctorum Splendor.
Gemmeos Tuæ Adoleſcentiæ annos, primùm inſpicio;
ut cognoſcaris ex primis virtutum lineamentis,
quantus creviſti à faſcijs,
etiam, niſi modeſtia repugnet,
ad faſces literatos.
Feliciorem credo fuiſſe Tuam primo Nativitatis horoſcopo Lucinã;
quàm viſa in ore Platonis dulcioris ſuadæ omina:
nam illum ſtulta fortunæ adulatio,
aut ingenioſior infantiæ caſus,
Te magna Virtutum indicia,
Summum Sapientiæ Myſtam præſagiebant.
Ita quippe, non vano felicitatis augurio,
quis olim quiſq; futurus ſit,
Indoles maxima quæq; ſpirans,
Virtuteſq; ipſæ,
in adoleſcentia, tanquam in herba ſignificant.
Ex more temporis,
prætextam indutus,
& amantium voto Parentum,
teneriori conſecratus Minervæ,
illicò ſolicitam ſuſcepiſti curam;

& ſæpiùs Adoſcens, ſed Vir ingenio,
hanc contemplationem in animo verſans, cogitâſti;
quid de Te ſentiret ipſe Pater Muſarum Phœbus,
quid Superi, quid fata decernerent;
& in tempore,
vel implens, vel anticipans fata,
menſus es minores ludos Palladis,
illâ gloriæ & ingenij amuſſi,
quam Tua ferebat ætas.
Adeo namq; fervens eſt ad gloriam adoleſcentia;
ut quos ſibi propoſuerit in exemplar,
aut pari adæquare virtute, aut maiori præcurrere velit.
Ivisti ſemper ex compoſito honoris:
ubiq; major,
ubiq; ad virentes gloriæ laurus paratior;
quouſq; doctæ ædem ſapientiæ, & immarceſcibiles Philoſophorum
laureas non pertingeres.
Paſſus hic Tuus, non leve curiculum erat:
licet aliys interdum blando ſe honor favore, & fortuna vendant;
Tibi nulla fortunæ propenſio,
nullus honor, niſi à labore,
eòq; diuturnior, quò operoſior venit in coronam.
Stupebat *Te Perilluſtris & Admodùm Reverende Domine*
Academus, & gaudebat ſimul,
bonaq; omina dabat fauſtus omnium rumor,
tempus illud non procul fore;
quo Te nutritum ſibi in Filium,

Patrem habeat Alma Mater Academia.

Sic enim vices & providentia, ſic certa lex mundi,
& grata conſcientia poſcit;
ut qui nutriti ſunt,
dent iterum iuſta ſuæ libamina Matri,
& redamatum amorem rependant in Parentes.
Hoc Tu voto & amore ferebaris
in Parentem Vniverſitatem Cracovienſem;
ideo,
ut gratitudinem gratitudine penſares,
non exiguis in ortu Tuo, Sapientiæ Splendor radiis micans,
omnia tantæ Matris juſſa,

ſanctè

sanctè integrèq; studuisti implere,
& gratum eius lumine Tuo serenare vultum.
Et primùm
magnâ prouocatione gloriæ;
destinationeq; Maiorum,
effulsisti,
hoc Tuo sapientiæ splendore,
Nouoduorsciani primâ Palæstrâ Collegij;
spinosa Dialecticæ ænigmata,
aut felicior Oedipus soluens,
aut Phœbi æmulâ sapientiæ luce illuminans:
vmbras & nubila ingeniorum
gratiosissimè dispulisti.
Est etiam & ingenijs sua nox & vmbra;
& nisi sapientiæ lumen accedat,
quid aliud sunt?
quàm atra crescentis ignorantiæ diffussio.
Verùm
quantùm hîc Tuo profecisti lumine,
tantùm gloriosè alibi resplenduisti,
radiantibus ingenij Tui facibus,
splendorem sapientiæ cum sole diffundens.
Etiam
in statione Lubransciana Academiæ,
Cursu Philosophico,
stetisti quidem arduo laboris certamine,
non ad vesperam sicut sol Iosue;
sed in meridie, mensuram lucis adimplens.
Et pulchram ibidem circumtulisti sapientiæ Maiestatem,
QUI,
maioribus in dies conatibus sudans,
æmulâ cuiusq; magnitudinis
mentis Tuæ capacitate,
arcana Philosophantium dogmata,
non solùm comprehendisti in exemplum Nominis Tui;
sed
exhausisti in admirationem sequentium:
noluisti alio fulgere splendore,

 nisi

nisi quem summus labor, doctaq; industria excuteret.

Atq; ita,

non obuio cuiquam ingenio,

moribus iudicio bonorum censis, satisq; per se laudatis,

ex regula & æstimatione virtutum;

discretâ in rebus prudentiâ,

altâ contemplatione sublimium,

festiuo ore, vultuq; amabili,

pulchriùs Tuis in sapientia operibus vernans,

effloruisti;

vt quocunque Te ostenderes,

vota gloriæ pro Te,

amplitudine honoris, & Maiestate sapientiæ certarent.

sæpiùs Tibi de ingenio,

de plausu laudantium, & admirantium,

deque Tui fruitione honoris

demere suetus,

modesto frontis supercilio,

vniuersa laboris, virtutum, & sapientiæ negotia,

ad gloriam immortalem mouebas.

Interdum ingenioso neglectu decora Nominis relinquere,

& ingenio mediocrem expedit esse;

nè aut suspicionem ambitionis moueas,

aut supra mensuram sapere videaris.

Sic statuisti

PERILLUSTRIS & ADMODUM REVERENDE DOMINE,

metam Tibi ponere;

sed non ita sapientia voluit:

qui etsi Te ad mensuram mediocritatis componeres,

non mediocris tamen habitus,

cuique celsiori mentium fastigio non impar,

quò demissior, eò altior surgebas,

opus Tuum gloriæ magnificum,

& magnis nixam laboribus, honoris maiestatem,

architectante sapientiâ,

Loquantur exedræ, porticusque stoæ?

quibus gloriosiùs,

quàm suis olim in Rostris Romana in Tullio,

trium-

triumphasti Eloquentia:
loquatur selectissima portio, vultusq; hominum?
quos arcano sapientiæ sensu,
Diuinior in resoluendis Philosophicis dogmatibus Plato,
in stuporem, dulcemque in Te contemplandi normam,
non semel rapuisti.
Habes
Magne Doctor?
vnde
triumphales gloriæ voces,
vnde
plausus audias & elogia?
habes non vili pondere merita virtutis,
docti exempla laboris,
& augusti honoris Maiestatem, ac splendorem.
sed
non hîc Laudum Tuarum & gloriæ coronis,
qui nunquam à magnis operibus desinere doctus,
linguas immortales,
& Cedro digna gloriæ trophæa mereris.
Ergo
ne ex alieno tantùm ore placens,
quo etiam æstimationem famæ,
& ex condigno Tibi respondentem
laudum integritatem merearis,
etiam domi Tuæ,
dignis Regum pupillis & auribus,
sacratioribus non cares leporibus:
Hîc
illud literati Orbis pretium & decus,
sapientiæ & virtutis thesaurum,
Sponte fusam dulcis eloquentiæ venam,
Magnum Tuum loquor Lepieccium:
cuius adhuc pientissimi,
dignissimis immortalitate trophæis,
spirant manes,

&

in magno Tuo pectore,
resuscitatis sacratioribus mentis ardoribus calent.
vnus pro Te,
proque gloria Nominis Tui;
sed omnium idiomate locutus,
non magis Tuo sapientiæ splendori fauens iure sanguinis;
quàm Iustitiæ, zelo virtutum,
suasit;
ne aliò auellereris ab orbe literato,
qui futurus eras
meritis magnorum operum
Splendor sapientiæ.

Hîc Te vestiget,
gressusq; Tuos præpetes ad gloriam consequatur velociùs,
quisquis habet excelsi pennas ingenij?
decurrat tecum;
sed ille tantùm, qui par Tibi ex ingenio?
Festinato passu Tua honoris vestigia lustret,
si nouit Tuorum exæquare Olympia factorum.

Tu curris,
Festinus ad Caput Orbis, Dominamque Gentium vrbem,
satis glorioso tramite;
sed feliciùs, quòd binis curris auspicijs.
fauore scilicet,
Principis in Orbe Lechico Domûs,
& Tuæ virtutis eximio impulsu.
Armatum Equitem,
Illustrissimorum & Excellentissimorum
Ducum in Kleuan
CZARTORISCIORVM,
non sessorem, sed æmulum tanti operis habens,
sequeris;
quò vel tam altus Principum approperat sanguis,
vel fausta gloria ducit.
meruisti tam glorioso, & non præpostero cursu;

vt

non solùm ex certamine victor,
& non semel cum delicio,
cum stupore Purpurati Doctorum senatûs,
in Romana Sapientia visus,
vbique pollens, vbique potens ingenio,
factis & sermone rectus,
vitâ & innocentiâ integer,
omnibus placens,
omnesque vlnis propensæ voluntatis complexus,
ex tam glorioso publicoque certamine,
Doctoralem lauream reportares;
Sed
etiam in Patriam redux,
credita Tuæ institutioni Indole felix,
non mediocribus salutatus elogijs,
in Principe Domo,
perennes gratiarum fauores,
& effusi symbola amoris capesseres,
Magnus honoris comprehensor.
Iniurium quippè virtuti est,
si par meritis, & laboribus merces non rependitur.
Et
præstò fuerunt manibus
Tuis digna præmia factis:
sed
quià aliò Te vocauit genius sapientiæ;
ideo
parcè fauoribus Principum vsus,
quamuis copiosè in Te diffundebantur;
Fastidientis cum Romano sapientè stomachi esse ratus,
omnia degustare,
quæ magis coinquinant, quàm alunt:
alióq; diggressus,
nulli ambitioni,
nulli fuco placens,
in vmbroso,
ceu sol in aquis,

Te
condidiſti Academo;
vt æmulâ ſolis virtute,
in ſplendorem ſapientiæ emergeres.
Quis non legit vota ſapientum?
quæ Te diu poſcebant:
quis non audiuit linguas Doctorum?
quibus Te in ſtationem Academicam vocabant:
quis non mirabatur verum in Te ſapientiæ amorem?
qui magnâ ſui teneritudine,
& propenſione Te ſibi deuinxerat.
Si ignorat,
intelligat vel exindè felicitatem Tuam,
quòd etiam abſentem, Romæque incolam,
Almæ Vniuerſitatis
altiores gradus honoreſque ornauerint.
Collega Minor factus, ex arbitrio legis;
ſed ex merito Maior,
nec procul abfuit optatum tempus illud,
quo Maior Collega factus,
eam ſuſcepiſti ſolicitudinem,
quomodo Minor omnibus fieres;
ſed non potuiſti.
Quia
citra condignum virtutis erat,
minui pretia honoris Tui,
& non augeri ſplendorem,
quem occulta Cæli prouidentia,
& candidus ſuperûm fauor,
in ſolem publicum
efformabat.
Hîc,
quantùs in ſacro Patrum ſenaculo & ſapientiæ habitus es,
ex Tè computa?
& is tandem ignorat,
qui ſe hominem nondum cognouit,
aut viuens ſe non viuere putat.

Non

Non solitarius in statione Tua,
& tamen non solicitus.
Plebeia enim mentis est, ex euentu pendere,
& dubium esse;
qua cura hodiè, qua cras industria prosit;
Et excutere omnia vota pectoris, vt omnia ad votum cedant.
Nō hæc Tibi Perillustris Domine cogitatio,
Non hæc vana operatio fuit:
Minimè luctabaris, nec ingeniosos quæsiuisti modos,
& tamen semper victor,
semperque honoratus,
triumphasti sine omni solicitudine.
Et
quamuis pridem maximos vicisti labores;
noluisti in statione Academica diuersus à laboribus censeri.
Iterum
ad Cursum gloriæ Tuæ redeo?
quem duplici Cursûs Philosophici certamine consumâsti,
vsque ad brauium altioris sapientiæ.
Non relinquo Decanalem Purpuram?
quâ augustè satis eminuisti.
Dubium est,
an ostro suo rubescens honor ille,
dignum sibi pretium inuenire potuit?
dum à Te gestaretur.
Nam illi semper tantùm est,
quòd suus natiuus non impallescat rubor,
Tu illi Vir Maxime,
Diuino prorsus ingenio attribuisti;
vt etiam gemmis, & splendore sapientiæ radiaret.
Quis enim
gemmeam in Te non venerabitur sapientiam?
cuius similitudo in concinna oris symetria,
tornatilique argumentandi affectu,
splendor in sublimitate ingenij,
æstimatio in captu,

elegantia in ſermone,
decor & pretium in ſtupore;
ſimilitudinem, figuram, amorem, æſtimationem, valorem, ſplendorẽ,
& pretium gemmarum refert & exprimit.
Delicium eras tot publicis, quæ Te ſtupebant diſputationibus,
non aliter ſicut apis,
dulce in ore nectar & aculeum portans:
vbi ſicca, ſuccoque deſtituta ſcientiarum areſcebant ingenia,
nectare ſapientiæ perſundebas ſuauiter,
& doctas dulcorabas mentes:
vbi inermis deſerebatur veritas,
pungebas ſtricto mentis acumine,
& acer pro veritate defenſor,
explicabas arma ſapientiæ.
Medium tenuiſti ſicut beati;
quia vtrumque vitium ratus; pridem apud Te ſtatuiſti;
& mollem, & nimis acutum eſſe.
Tot tantiſque ſtipatus Tuis decoribus,
videris mihi Perilluſtris & Admodùm Reuerende D. DOCTOR,
iam verè in ſplendorem ſapientiæ effulgere,
& altiùs aſcendere,
vt ſolent,
quos labor virtuſque leuat.
Verùm
ſiſte gradum,
& paulò ante contemplare?
quæ Tibi hunc altum honorem dilatant auſpicia?
non eſt ex omni parte glorioſum aſcendere in faſtigium,
niſi omnes videant,
quibus illuc veſtigijs enitaris:
Nec dulce frui gloriâ, niſi eius grata fruitio,
Principibus etiam viris innoteſcat.
Tu tamen
feſtinas in ſublime Diuinæ Theologiæ culmen,
& nihil Tuâ intereſt,
quid de Tuo ſplendore alienus cogitet fauor?
cogitauerunt tamen ampliſſimæ,
Illu-

Illuſtriſſimæ Domûs Warſzyciorum Gratiæ:
Nam Te ad Sapientiam properantem,
Eccleſiaſticâ dignitate, Cuſtodis Pilecenſis coronârunt.
Quàm tenerrimè,
Magnus ille Orbis Lechæi Senator,
Illuſtriſsimus olim & Magnificus Dominus,
D. STANISLAVS WARSZYCKI
Caſtellanus Cracouienſis,
Te dilexerat,
viua ſunt tanti monumenta amoris,
legat poſteritas.
Domi in ſtatione Academica,
etiam non vano titulo collegiſti honores:
Primò
Canonicus S. FLORIANI,
modò felix ſuperſtes DECANUS,
& Præpoſitus Proſſouicenſis,
Magnus in Theologia Profeſſor
triumphas.
Quare,
Debet Tibi Perilluſtris & Adm̃. Reverende Domine,
non vile pretium honoris VNIVERSITAS;
pro cuius integritate, immunitatibus, & legibus,
in publicis Auguſtæ Reipublicæ Polonæ Comitijs, ac Comitiolis,
non ſemel, nec vano zelabas conatu.
Debet docti cætûs corona,
& non vna diſcentum artes legio,
propenſi pectoris æternam gratitudinem;
cui erudiendæ in ſapientia,
vitam & ſanguinem Tuum conſecrâſti.
Debent Amici dimidium ſui;
quibus dimidium Tui, ſi non totum dediſti.
Debent Profeſſores Vniuerſitatis,
venerationis vectigal;
quos Tu magnis virtutum & ſapientiæ exemplis imbuiſti.
Debent ſacræ Religioſorum Familiæ,

perennis monumenta honoris?
quas Tu Votis beneuolentiæ,
& quæ par eſt dignis, promptitudine proſequeris.
Debet Nobiliſſima Orbis Lechæi Propago
reuerentiam;
cuius imbecillis iuuentæ mores,
Sapientiſſimus Prouiſor,
Magnuſq; Chiron,
ad honeſtatis, & ſcientiarum amuſſim conformas, & dirigis.
Debet inſuper totus Lechicus Orbis, & Eccleſia,
perennem memoriam;
quia vtriq;,
labore, doctis lucubrationibus, Virtute, & ſapientiâ fulges.
Hactenus ergò,
exantlatis Diuinæ planè mentis Tuæ induſtriâ laboribus,
dum Te Perilluſtris & Adm̃. Reuerende Domine,
ex voto Vniuerſitatis Noſtræ,
nouo in ſplendore ſapientiæ
conſalutamus DOCTOREM;
non thura, nec cæſas animalium victimas;
ſed vota,
& gratas voces nuncupamus Cœlo;
vt te ſuperi diu Orbi Academico ſeruent.
Viris enim ſapientibus, vt immortalis vita prorogetur, decet.

Age ergo triumphum,
& computa faſtos?
in delicium humani generis,
factus ipſe,
Sacratiori Diuinæ ſcientiæ lumine,
Theologici Honoris, & Sapientiæ
SPLENDOR.

ODE

ODE

VIRTVTI & HONORI,

Perillustris, Clarissimi & Adm̄ Reuerendi Domini,

APPLAUDENS.

AVgusta Magni, plenaqué Gratijs,
Proles Tonantis, quæ sapientiæ,
Fasces gubernas literatos,
Orbe choros recinente plausum
Resolue Pallas? rumpe silentia?
Carmen sonorum, carmen amabile,
Plaudente decantes Mineruâ,
Per cytharas comitante Phœbo.
Dies triumphi, lætaqué personant,
Altum canenti gaudia Barbito,
Procedit in sublime virtus,
Lilia ferte Rosasqué Musæ?
Quis celsa scandit culmina gloriæ?
Dic fama quæso, dic bene poscimus?
Magnus SOWINSKI, qui coronas,
Ingenio sapiente poscit.
Nunc dulce carmen, votaqué concinat,
Cultu sereno, præferat auream
Plausus tabellam? cûi perennis
Sculpat honor monumenta laudis.
Opes beatas & Sapientiæ,
Describat auro? quas neq; prodiga,
Arrodat, æui, dente sæuo,
Nec minuat carie vetustas.
Æternitatem nam sibi vendicant,
Sudata magni facta negotij,
Omnemq; supra obliuionem,
Per titulos memoranda viuunt.
His clarus alto gestit in essedo,
DOCTOR supremæ, gemma scientiæ,
Qui sacra Musarum trophæa,
Non leuibus numerauit annis.

Excelſa magnis clara decoribus,
Vbiq; felix, præmia computans,
Collegit alto ſemper auſu;
Poſſidet en pretium coronæ.

Quid ipſe geſſit, publica vox canit,
Serenioris laudis adoreâ,
Faſtos repleuit cultiores,
Dogmata nam quoties capaci,

Inter togatos mente ſagacior,
Cœtus reuoluit; viſus erat loqui
Orâcla Doctorum, & diſertum
Hic toties cecinit triumphum.

Stetit futuræ, quàm bene gloriæ
Auguſta moles, marmora celſiùs
Virtute tranſcendens; & vdam
Spreuit humum, penetrans Olympum.

Quid poſcit vltra? quid generoſior
Requirit Orbis fama? quid ampliùs
Optant Camænæ? quando ſtoæ
Magnus habet loca ſumma DOCTOR.

Viſendus hîc eſt, hîc ſua gloriæ
Trophæa pandit, milleq; plauſibus,
Votiſq; mille Gratiarum,
Excipitur reſonante Pindo.

Ergo ſupremis viuat honoribus?
Viuat triumphans? ſitqué Academiæ,
Sacræq; ſit Doctor Cathedræ?
Aurea lux, Cynoſura, SPLENDOR.

Permiſſu Magnifici Domini
RECTORIS.